Quelle: https://manuscripta.at/?ID=126
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Erige congestas etheo robore siluas.
Thesalicam uideat pompeius ab equore flammam.
Nil agis hac ira. tabes ne cadauera soluat
An rogus. haud refert. placido nam receptat
Cuncta sinu. finemque sui sibi corpora debent.
Hos cesar populos si nunc non userit ignis.
Uret cum terris. uret cum gurgite ponti.
Cominis mundo superest rogus ossibus astra
Mixturus. quocumque tuam fortuna uocabit.
Hec quoque eunt anime. non altius ibis in auras.
Non meliore loco stigia sub nocte iacebis.
Libera fortuna mors est. capit omnia tellus
Que genuit. celo tegitur qui non habet urnam.
Tu cui dant penas inhumato funere reges
Quid fugis hanc cladem: quid olentes deseris agros:
Abstrahe cesar aquas. hoc si potes utere celo.
Set tibi tabentes populi pharsalica rura
Eripiunt. camposque tenent uictore fugato.
Nec solum emonii funesta ad pabula belli
Bistonii uenere lupi. tabemque cruente
Ceclis odorati pholoen liquere leones.
Tunc urse latebras. obsceni tecta domosque
Deseruere canes. et quidquid nare sagaci
Aera non sanum motumque cadauere sensit.
Iamque diu uolucres ciuilia castra sequute
Conueniunt. uos que nilo mutare soletis
Trehicias hyemes ad mollem serius austrum
Istis aues. nunquam se tanto uulture celum
Induit. aut plures pressunt aera penne.
Omne nemus misit uolucres. omnisque cruenta
Alite sanguineis stillauit roribus arbor. Alex.tis.
Sepe super uultus uictoris et impia signa